

Folium officiale Dioecesis Lavantinae.

Cerkveni zaukaznik za Lavantinsko škofijo.

Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diözese.

Inhalt. 70. Regulae servandae in iudiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, approbatae et confirmatae a Pio Papa X. — 71. Decretum S. Congr. de Sacramentis circa impedimentum ex adulterio cum attentatione matrimonii proveniens. — 72. Einladung zu den Priestergerüchten. — 73. Der Dritte Orden des hl. Franziskus. — 74. Ausschreibung von Stiftsplätzen im J. B. Knabenseminar

Maximilianum-Viktorinum für das Schuljahr 1912/13. — 75. Verpflichtung der Schulkinder zur Teilnahme an den religiösen Übungen. — 76. Erlass des f. f. Finanzministeriums vom 3. Oktober 1911 J. 68.396, betreffend die Zusammenschreibung von Februar—August-Renten. — 77. IX. steiermärkische Wohltätigkeits-Lotterie. — 78. Škofijska kronika. — 79. Diözesan-Nachrichten.

70.

Regulae servandae in iudiciis apud Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, approbatae et confirmatae a Pio Papa X.

Regulae, quibus apud Supremum Apostolicae Signaturae Tribunal causarum pertractionis ordo et ratio statuitur, non brevi temporis intervallo ad experimentum adhibitae, atque ab Eminentissimis PP. Cardinalibus in idem Tribunal adlectis sedulo recognitae, Apostolicae demum sanctioni humillime submissae fuere. Sanctissimus autem Dominus N. Pius PP. X. ipsas Regulas, probato earum tenore, in audience habita hac die VI. mensis Martii MCMXII ab infrascripto Cardinale Praefecto, confirmare ratasque facere dignatus est; quin imo vim iisdem auctoritatemque *Legis peculiaris* pro Supremo Apostolicae Signaturae Tribunalis attribuens, in *Acta Apostolicae Sedis* referri, promulgari et ab omnibus, ad quos spectet, stricte in posterum observari iussit.

Romae, die VI. mensis Martii MCMXII.

Vincentius Card. Vannutelli, S. A. S. T. Praefectus.
L. † S. Nicolaus Marini, a Secretis.

TITULUS I.

Quae causae Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali subiiciuntur.

Art. 1.

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, iuxta *Legis Propriae* can. 37, videt tamquam sibi propria et praecipua:

- a) de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur;
- b) de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus allatis eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint;

- c) de querela nullitatis contra sententiam rotalem;
- d) de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transierit.

Praeter hosce casus, *ex commissione Sanctissimi* indicat etiam de restitutione in integrum contra sententiam ab aliqua S. Congregatione emissam.

Art. 2.

Suspicionis exceptioni locum praebent:

- a) quaestiones nondum per iudicium decisae inter aliquem Auditorem et partes;
- b) inimicitiae graves;
- c) ratio aliqua ob quam deduci iure licet Auditori quodvis commodum morale aut oeconomicum ex causa esse proventurum; aut ipsum alteri partium litigantium nimis adhaerere;
- d) opinio sive consilium circa causam ab Auditore emissum; causa ab eo cognita in alio iurisdictionis gradu tamquam iudice vel arbitro; causa iam alias ab ipso propugnata uti advocato vel procuratore;
- e) necessitudo cuiusque gradus in linea recta, atque in linea transversa usque ad quartum gradum computationis civilis inclusive; affinitas indirecta eiusque gradus, transversa usque ad secundum.

Quum vero recusans proposuerit exceptions de merito causae, exceptio suspicionis contra Auditorem admitti nequit, nisi posterius suspicionis argumentum innoverit.

Art. 3.

Querela nullitatis produci potest non solum contra sententiam definitivam, verum etiam adversus interlocuto-

riam sententiam a Sacrae Rotae tribunal quomodocumque emissam, dummodo tamen gravamen aliquod inde sit oriturum, quod per definitivam sententiam reparari nequeat; aut etiam ipsa sententia vim habeat sententiae definitivae.

Art. 4.

Argumenta querelae nullitatis sunt:

- a) defectus citationis qua causa introducitur;
- b) defectus iurisdictionis;
- c) defectus mandati procuratorii, aut vitium in eodem substantiale;
- d) ratio in sententia non habita alicuius legis;
- e) manifesta quaevis legis violatio.

Art. 5.

Non admittitur recursus ob defectum citationis qua causa introducitur quando pars non citata in iudicium venit suasque rationes aut defensiones de merito causae adduxit, neque tamen actus nullitatem allegavit.

Art. 6.

Recursus ob defectum iurisdictionis fieri quoque potest ad obtainendam circumscriptiōnē iudicīi, dēmptō semper casū quo pars comparuerit, nullaqe circa cōpetentiam exceptionē opposita, defensiones aut documenta in causa produxerit.

Art. 7.

Defectus aut vitium in mandato procuracy veluti sanata habentur ob appellationem interpositam ab ipso auctore, sive per se, sive per procuratorem, adversus quamlibet sententiam, antequam pars altera nullitatem oppo-suerit; aut generatim ob actum quemlibet positivum ante querelam nullitatis emissum, unde sanctio colligatur iuxta normam iuris communis.

Art. 8.

Recursus ex querela nullitatis admitti nequit, nisi vitium aliquod, de quibus supra, manifeste comprobetur; in dubiis reiicitur recursus tamquam fundamento boni iuris carens. Reiicitur etiam pure ac simpliciter si defectus remissus aut sanatus, ut supra, appareat.

Art. 9.

Ut admittatur recursus ad obtainendam *restitutionem in integrum*, inde colligatur oportet:

- a) iudicium ex documentis fuisse emissum, quorum falsitia aut adulteratio in posterum cognita fuerit;
- b) documenta publica aut privata reperta esse, quibus factum aliquod novum decretorium in causa comprobetur;
- c) aut generatim rationem aliquam intercessisse non prius deductam neque disputatam, ex qua detrimentum grave atque manifestum boni iuris demonstrari queat, ideoque sit locus actioni rescissoriae, ad normam iuris communis.

Art. 10.

Executio voluntaria rei iudicatae post sententiam ultimi gradus iure minime privat petendi atque obtainendi a Supremo Tribunal restitucionem in integrum.

Art. 11.

Non aliter atque ad petendam restitucionem in integrum et introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem, terminus etiam intra quem causa ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal ex commissione Sanctissimi delata inchoari potest, est trium mensium a die obtentae commissionis.

TITULUS II.

Ritus procedendi coram Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali.

Art. 12.

Libellus, quo causa introducitur, exhibetur R. P. D. Signaturae Apostolicae Secretario per Notarium *protocollo* addictum; eique alligari debent:

- a) exemplar authenticum sententiae adversus quam recursus interponitur, et in causis quae ad Supremum Tribunal deferuntur ex commissione Sanctissimi, documentum obtentam commissionem comprobans.
- b) apacha libellarum centum apud Officiale Supremi Tribunalis distributorem in cautelam commissarum. Huiusmodi summa aerario Sedis Apostolicae acquiretur si reiiciatur recursus; si vero admittatur, ex causae expensis subducetur;
- c) procuracy mandatum in formis, si actor per se ipsum recursum non exhibuerit.

Art. 13.

Acceptum libellum eiusque adnexa documenta Notarium *protocollo* adductus in fasciculum colliget, quem, in appositiō librum relatum et numero signatum, ad R. P. D. Secretarium remittet, ut per decretum adversae parti legitime notificandum terminum is constituat ad animadversiones contra recursum in scriptis Supremo Tribunali submittendas; secus contumaciter procedendum.

Art. 14.

Notificationis actus exarabitur a Notario Scriptore seu Actuario, vel ab alio Supremi Tribunalis Officiali ad id deputato, qui, post R. P. D. Secretarium, et ipse subsignabit sigilloque Supremi Tribunalis actum communiet.

Ad validitatem exemplaris, parti vel eius procuratori tradendi, satis erit subsignatio Officialis in Notarium deputati, et sigillum Supremi Tribunalis.

Art. 15.

Notificationis actus formula erit prout sequitur, *mutatis mutandis*:

(*Titulus causae et Protocolli numerus*).

De mandato Eminentissimi ac Reverendissimi Domini.. Supremi huius Signaturae Apostolicae Tribunalis Praefecti; notificetur Domino N. N. coram hoc Supremo Tribunal et contra ipsum dominum N. N. exhibitum esse [ex commissione Sanctissimi, si ita sit] recursum contra sententiam a... latam in causa.. ad obtainendum [nullitatem dictae sententiae, seu restitutionem in integrum, etc.]; atque ideo supra memorato domino N. N. convento fatalis dies.. hora meridiana constituatur ad deducendum in scriptis sive per se sive per procuratorem legitime deputatum coram infra-scripto Secretario in aedibus Supremi Tribunalis Romae.. si quid habeat contra admissionem praefati recursus; quo termino elapso, procedetur contumaciter ad ulteriora, omni etc.

Datum Romae ex aedibus S. T. die..

Art. 16.

Notificationis actus (itemque citationes et alias quilibet actus S. T.) in Urbe transmittetur per manum apparitoris ipsius Supremi Tribunalis, qui peractae traditionis fidem faciet in calce ipsius actus. Si vero pars extra Urbem commoretur, transmittetur per cursum publicum in fasciculo, ut vulgo audit, *commendato*, cuius acceptatio, a publico pariter epistolarum diribitorio requisita, in actis servabitur.

Pro iis denique, quorum ignotum est domicilium, S. T. opus adhibebit Curiae Dioeceseos, aut aliis rationibus utetur, quae R. P. D. Secretario necessariae aut opportunae in casu videantur.

Art. 17.

Quum actus quivis eidam Episcopo notificandus sit, ad instar epistolae conscribetur; a R. P. D. Supremi Tribunalis Secretario ac Notario deputato subsignabitur, et per publicum cursum, ut supra, transmittetur.

Art. 18.

Formula tum erit prouti sequitur, *mutatis mutandis*:

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Infrascriptus P. D..., Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis Secretarius, Amplitudini Tuae notum per praesentes facit, dominum N. N. recursum [de commissione Sanctissimi, si ita sit] obtulisse contra sententiam a... latam in causa.. ad obtainendum.. Quod quum ex ratione munieris mei Tibi comunico, id pariter significo, Amplitudini Tuae esse tempus usque ad diem.. ut si quid contra acceptationem praefati recursus deducendum habeas, vel per Te, vel per Procuratorem legitime deputatum deducas scriptis ad me mittendis in aedibus Supremi huius Tribunalis Romae.., quo termino elapso, ultra procedetur ad normam „Legis Propriae“ can. 40.

*Interim bona omnia et fausta a Deo Tibi adprecor.
Amplitudinis Tuae Famulus addictissimus.*

Art. 19.

Elapso termino parte conventae constituto ad iura sua deducenda contra recursum (qui tamen terminus, instante eadem parte, per rescriptum R. P. D. Secretarii prorogari poterit), neque ab ipsa parte conventa animadversionibus suis productis, R. P. D. Secretarius, nisi ei videbitur per novum decretum renovari citationem, procedere potest ad ulteriora.

Art. 20.

Item, per decretum R. P. D. Secretarii explanationes tam iuris quam facti, pro rei opportunitate, sive ab actore sive a convento exigi poterunt; et decreti notificatio illi fiet parti, a qua huiusmodi deductiones exquirantur; neque altera pars obiicere quidquam poterit.

Art. 21.

Praeter necessariam ab adversa parte deductionum expostulationem, R. P. D. Secretarius, quo facilis et accuratius recursus naturam et rationes cognoscere queat, a S. R. Rota vel a S. Congregatione apud quam causa iam agitata fuit, acta omnia, quae praecesserunt, requiret.

Requiret insuper, si ei videbitur, unius aut plurium Supr. Trib. PP. Consultorum votum, itemque votum Promotoris Iustitiae, et, quum agatur de re matrimoniali, Vinculi Defensoris; vel etiam partibus diem dicet, ut coram se de recursus rationibus verbis disputent.

Art. 22.

Decretum R. P. D. Secretarii, quo oralis disputatio iubetur, argumenta indicabit, quibus discussio ipsa continetur, et utriusque parti transmittetur per citationem tenoris qui sequitur:

De mandato etc... citentur domini N. N. et N. N. ad comparendum coram infra-scripto S. T. Secretario, in aedibus eiusdem S. T. Romae.. die.. hora.. ad habendam discussionem oralem circa recursum a N. N. exhibitum contra.. pro.. et decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum videndum in forma fieri et interponi etc., non solum etc., sed et omni etc. — Argumenta autem ipsius discussionis erunt quae sequuntur:..

Datum ex aedibus S. T. die..

(Sigillum, et subscriptio R. P. D. Secretarii atque Notarii).

Art. 23.

Partibus quoque, vel earum alteri, fas erit discussionem oralem a R. P. D. Secretario per supplicem libellum exposcere. R. P. D. Secretarius per decretum, a quo appellari non poterit, iudicabit tum de admissione discussionis, tum de eius argumentis, quae in ipso libello proposita iam fuerint.

Art. 24.

Partium rationes in discussione orali ab ipsarum advocatis explicabuntur. Verum R. P. D. Secretarius, in

causis criminalibus praesertim, actorem ipsum vel conventum discussionis participes efficere poterit.

Art. 25.

Oralis disceptationis moderator est R. P. D. Secretarius, cui praesto erunt alter ex Officialibus Supremi Tribunalis, qui, in Notarium deputatus, argumenta a partibus prolati fideliter scriptis referet; praeterea unus vel duo Supremi Tribunalis PP. Consultores, quando R. P. D. Secretario videbitur, vel etiam, si oportuerit, Promotor Iustitiae aut Vinculi Defensor.

Qui omnes disceptationi interfuerint, cum Notario actum subsignabunt.

Art. 26.

Si quis in orali disceptatione ab ordine discesserit, aut reverentiam S. T. debitam non adhibuerit, poenis multabatur a *Lege Propria* can. 30 num. 6 constitutis, quae statim per decretum R. P. D. Secretarii irrogari poterunt.

Art. 27.

Attentis iis omnibus, quae superius praescripta sunt, Cardinalis S. T. Praefectus et R. P. D. Secretarius iudicabunt deferendus necne sit recursus plenis Purpuratorum Patrum comitiis, iuxta *Legem Propriam*, can. 40, n. 2.

Admissio, itemque reiectio, partibus nota fiet in formis. Rejectionis decretum a R. P. D. Secretario et a Notario conservando archivo deputato, tamquam Cancelariae munere fungente, signatum, atque sigillo S. T. munitum, in *Actis Apostolicae Sedis* publici iuris fiet, nisi aliter Cardinalis Praefectus constituerit.

Art. 28.

Rejectionis notificatio erit prout sequitur:

De mandato etc... notificetur domino N. N., Procuratori domini N. N. in causa legitime constituto, in ordinario Coetu seu Congressu habito in aedibus praefati Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Praefecti die... attente consideratam et perpensam fuisse instantiam a domino N. N. exhibitam [de commissione Sanctissimi, si ita sit] contra sententiam latam in causa a... ad obtainendum...; fundamentum tamen boni iuris in eadem non inventum esse, atque idcirco, iuxta Legem Propriam, can. 40, fuisse reiectam.

Datum Romae ex aedibus S. T. die..

(*Sigillum et subscriptio R. P. D. Secretarii atque Notarii.*)

Art. 29.

Quum recursus admissus fuerit, in actu notificacionis generaliter etiam continebitur citatio ad comparendum pro dubiorum concordatione, prout infra:

De mandato [etc. ut supra] ad obtainendum...; quumque inventum esset fundamentum aliquod boni iuris in eadem haberi, iuxta Legem Propriam, can. 40, fuisse admissam, atque decretum ut plenariis comitiis proponeretur.

Itaque citetur ipse dominus N. N. ut supra Procurator domini N. N. in causa actoris [seu conventi] ad comparendum coram infrascripto Secretario in aedibus Supremi huius Tribunalis Romae.. die.. hora.. ad concordandum de dubiis disceptandis, videndum destinari diem qua habeatur plenarius EE. PP. Coetus pro tractatione causae de qua agitur, ac decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum in forma fieri et interponi, etc. omni, etc.

Datum Romae.. etc.

Art. 30.

Si in actu notificacionis, de quo in sup. art., citatio *ex officio* defuerit, diligentiori parti relinquitur apud R. P. D. Secretarium instare ut dies praefigatur ad litis contestationem ac dubiorum propositionem. Quo in casu, post verba notificacionis: „fuisse admissam“, hoc modo concludetur: „et datum actori seu diligentiori parti proponi citationem pro concordatione dubiorum, aliisque omnibus necessariis et opportunis, omni, etc.“

Datum.. etc.“

Art. 31.

Notificatio Reverendissimis Episcopis per epistolam fiet sequentis tenoris, *mutatis mutandis*:

*Illusterrissime ac Reverendissime Domine,
Infrascriptus P. D. Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis Secretarius, Amplitudini Tuae notum per praesentes facit, instantiam a... coram Supremo hoc Tribunali [de commissione Sanctissimi, si ita fuerit] exhibitam contra sententiam a... latam in causa.. ad obtainendum.., iuxta Legis Propriae can. 40 fuisse admissam, ac decretum ut plenariis comitiis proponeretur, utque Amplitudo Tua in ius vocaretur. Itaque decretum edidi, quod per praesentes Tibi communico, ad effectum ut, nisi legitima causa excuseris, compareas vel per Te ipsum, vel per Procuratorem legitime deputatum coram me infrascripto Secretario in aedibus Supremi huius Tribunalis Romae.. die.. hora.. ad concordandum de dubiis disceptandis, videndum destinari diem qua habeatur plenarius EE. PP. Coetus pro tractatione causae de qua agitur, et decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum in forma fieri et interponi etc., non solum etc., sed et omni etc.*

Dum haec ad Amplitudinem Tuam deferero, tibi omnia bona et fausta a Deo adprecor.

Datum Romae ex aedibus S. T. die..
(*Sigillum, et Subscriptio tum R. P. D. Secretarii, tum Notarii.*)

Art. 32.

Supplex libellus quo pars diligentior a R. P. D. Secretario expostulabit actum contestationis litis dubiaque proponet, erit prout sequitur:

Ad tramitem Decreti huius Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis sub die.. constituentis ut causa..

proponatur ad plenarium Coetum Eminentissimorum Iudicium; infrascriptus N. N. procurator domini N. N. in causa legitime constitutus petit atque instat ut citetur dominus N. N. ad comparendum sive per se sive per procuratorem in aedibus S. T. die et hora destinandis ad concordandum de dubiis disceptandis; sin minus videndum subscribi infrascriptum, nec non destinari diem qua habeatur Plenarius Eminentissimorum Patrum Coetus pro tractatione causae de qua agitur, et decretum aliud quodcumque de super necessarium et opportunum in forma fieri, etc., omni etc.

Dubium

Die..

(Subscriptio).

Art. 33.

Decretum quo R. P. D. Secretarius diem dicit ad litis contestationem parti, quae institit, notificabitur. Pars altera in ius vocabitur per citationem ad comparendum die.. hora.. ad concordandum de dubiis disceptandis; sin minus videndum subscribi infrascriptum ab actore [sive a convento] propositum, nec non destinari diem, etc., uti supra.

Art. 34.

Quum citatio fiat iussu R. P. D. Secretarii in ipso actu quo admissio recursus significatur, partes tribus diebus ante litis contestationem suas dubiorum propositiones in manus R. P. D. Secretarii remittent.

Art. 35.

In actu concordationis dubiorum si partes non comparuerint, vel de dubiis proponendis inter se minime convenient, R. P. D. Secretarius litis contestationem suspendere poterit, vel ad alium diem prorogare, vel etiam ex officio dubiorum formularum decernere.

Art. 36.

Litis contestationi, praeter R. P. D. Secretarium et partes, intererit alter ex Officialibus S. T., qui, in Notarium deputatus, acta omnia et actitata fideliter scriptis describet, atque de omnibus fidem faciet.

Promotor Iustitiae ac Vinculi Defensor intervenient quum aut suum alterutrius officium reposcat, aut a R. P. D. Secretario invitentur, aut denique ad instantiam partium, a R. P. D. Secretario per rescriptum admissam.

Art. 37.

In actu contestationis litis constituetur etiam quae pecuniae summa a partibus solvenda sit tamquam depositum ad expensarum iudicialium cautionem. Indicabitur praeterea dies resolutionis causae, idest plenarii Eminentissimorum Patrum conventus; terminus ad defensiones atque documenta exhibenda, prout infra:

Die.. mense.. hora.. coram R. P. Domino N. N., Supremi huius Apostolicae Signaturae Tribunalis Secretario; in aedibus Supremi eiusdem Tribunalis Romae.. legitimate

citati comparuerunt dominus N. N. procurator domini N. N. in causa legitime constitutus, prouti patet ex procurationis mandato in actis extante; et dominus N. N. procurator, uti supra, domini N. N., ad concordanda dubia coram EEP. proponenda in causa.. inter N. N. et N. N. ad obtinendum.. Quae quidem dubia a domino N. N. proposita et a domino N. N. accepta, sunt prouti sequitur:

(Dubiorum textus indicatur).

Et R. P. Dominus N. N. Supremi Tribunalis Secretarius, eadem dubia admisit.

[Sive: „Quum vero dominus N. N. declarasset, se iisdem assentiri non posse, recusationisque sua argumenta attulisset, R. P. D. Supremi Tribunalis Secretarius, auditis atque perpensis utriusque partis rationibus, ea tandem — ex officio — declaravit habenda esse prouti sequitur..”]

Deinde dominus N. N. petuit et institit, ut praefigetur dies tum plenorum Comitiorum, tum pro documentorum et scripturarum exhibitione, utque alia omnia necessaria et opportuna in causa statuantur, omni etc.

Tum R. P. Dominus N. N. Supremi Tribunalis Secretarius, de mandato Eminentissimi ac Reverendissimi Domini N. Cardinalis N. Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis Praefecti, statuit:

1. ut plenaria S. T. Comitia ad disceptanda dubia, de quibus supra, in Vaticano habeantur die..;
2. ut ante diem.. apud Cancellariam S. Tribunalis a... deponantur libell... ad causae expensarum tutelam;
3. ut scripturae typis concreitae ac documenta producantur in formis die..; atque insuper ut responsiones et alia fiant iuxta terminos tum ex iure communi, tum a Lege Propria et a regulis S. T. admissos.

Atque ita mandavit, ac decretit, et in fidem una cum N. N. Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis Officiali in Notarium deputato, partibusque in causa contendentibus, uti supra, se subscriptis, prouti sequitur:...

Art. 38.

Dubiorum formula mutari nequit nisi per decretum R. P. D. Secretarii, instante vel altera Partium, vel Promotore Iustitiae aut Vinculi Defensore, auditaque pars adversa; idque etiam quum ipsa formula ob partium dissensum decreta fuerit ex officio.

Art. 39.

Quum agatur de recursu pro restitutione in integrum adversus sententiam, quae in rem iudicatam transierit, quae pars eundem interponit cogi poterit ad integrum pro expensis depositum faciendum. Causa absoluta, rationes partium expedientur prouti S. T. constituerit.

Art. 40.

Terminus ad exhibenda documenta atque defensiones minor quadraginta diebus ante diem resolutionis causae sive plenorum Eminentissimorum Patrum Comitiorum esse non poterit.

Art. 41.

Defensiones dupli exemplari ex rudi typorum impressione (vulgo *bozze di stampa*) R. P. D. Secretario exhibendae erunt, qui imprimendi facultatem, post advocati subscriptionem, scriptis apponet.

Si quae in ipsis R. P. D. Secretarius corrigenda quomodocumque iudicaverit, ea adamussim ab advocate servabuntur; secus idem advocate poenis a *Lege Propria*, can. 30 num. 6 constitutis, muletabitur.

Art. 42.

Documenta deponenda erunt in formis penes Cancellariam S. T., ut ibidem libere examinari possint a partibus; quae autem in summarium relata erunt, ea cum dupli exemplari ex rudi typorum impressione tradentur.

Art. 43.

Notarius protocolli una cum Custode Archivi S. T. collationem peraget huiusmodi exemplarium cum documentis originalibus. Factae collationis testimonium reddeatur vel in calce cuiusque documenti, vel etiam in fine summarii; quod, hoc testimonio carens, neque vulgari neque distribui poterit.

Art. 44.

Ex duobus tum defensionis tum summarii rudibus exemplaribus, ut supra exhibitis, alterum parti pro definitiva impressione restituetur, alterum in Cancellaria S. T. servabitur ad correctiones, si oportuerit, conferendas.

Art. 45.

Defensionis distributio fiet tringinta diebus ante causae definitionem in Cancellaria S. T.

Officialis S. T. Distributor defensionem cum sumario inter partes commutat; in ea quae actis alligatur fidem facit peractae exhibitionis et permutationis; exemplaria denique Eminentissimis Patribus, R. P. D. Secretario, R. P. Consultori cuius votum fuerit requisitum, Promotori Iustitiae aut Vinculi Defensori, quum in iudicium venerint, per apparitorem S. T. statim transmittet.

Art. 46.

Responsiones atque documenta in summario additionali alliganda quindecim diebus ante causae definitionem producentur; distributio autem fiet decem diebus ante plenarium Eminentissimorum Patrum Conventum iuxta formam in art. 41—45 descriptam.

Art. 47.

Officialis Distributor, simul cum responsionum exemplaribus, ad Eminentissimum Iudicem, qui Ponens seu Relator in causa fuerit designatus, acta omnia originalia, quae ad causam referuntur, transmittet.

Art. 48.

R. P. D. Secretarii erit singulis Eminentissimis Patribus in S. T. adlectis non minus decem diebus ante causae definitionem, *ex officio* fasciculum mittere, in quo *status*

iuridicus causae exponatur et summaria a partibus adducta compleantur; additis scilicet documentis, quae necessaria atque opportuna videantur ad causam satius Eminentissimis Patribus enucleandam.

Quod si quis ex RR. PP. Consultoribus in causam suo voto intervenierit, ac post editas defensiones et responsiones a partibus, novas animadversiones addere existimat, eae, si necesse fuerit, in *summario additionali ex officio* Eminentissimis Patribus transmittentur non minus quinque diebus ante causae definitionem.

Art. 49.

Responsionum distributione conclusum in causa reputabitur iuxta can. 27 *Legis Propriae*, iisque congruent servatis, quae in eiusdem can. § 3-4 statuantur. Admitti tamen etiam tum poterit discussio oralis, quae a R. P. D. Secretario requiretur per supplicem libellum, rationes extraordinarias explanantem invocati beneficii et capita singularia ac distincta de quibus disceptandum sit.

Art. 50.

Decretum R. P. D. Secretarii, quo discussio haec oralis admittitur vel negatur, irrevocabile erit, atque partibus notificabitur, addita citatione pro die, hora et loco disceptionis, si eadem fuerit concessa.

Art. 51.

Discussio oralis, praeterquam in casibus peculiari exceptione dignis, angustiori termino quam dierum quinque ante causae definitionem haberi nequit.

Eius ritus idem erit atque in artic. 24, 25 et 26 describitur. Officialis ad acta conficienda deputatus, ea statim cum documentis productis, si quae fuerint, ad Eminentissimum Cardinalem in causa Ponentem seu Relatorem de mandato R. P. D. Secretarii transmittet.

Art. 52.

Non aliter ac informationes orales ad Iudices, (*Lex Propria*, can. 30), scripturae quoque ex gratia legendarie, atque generatim distributio quaeviis defensionum aut responsionum, approbatione R. P. D. Secretarii parentium, et per tramitem Officialis S. T. Distributoris haud facta, omnino prohibentur ac vetantur.

Art. 53.

Resolutio dubiorum plenario Eminentissimorum Iudicium Coetui propositorum, partibus notificabitur, nec non S. Tribunali aut Congregationi adversus eius sententiam ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal recursus fuit interpositus.

Actus subsignabitur a R. P. D. Secretario et a Notario Archivi Custode, tamquam Cancellarii munere fungente, sigilloque S. T. munietur.

In eo etiam decreta de expensis referentur, ut in sequenti formula:

De mandato etc. . . . Notificetur domino N. N. Procuratori domini N. N. in causa legitime constituto, in plenaria Supremi Tribunalis sessione habita in aedibus Vaticanicis die . . . , relatore Eminentissimo P. Domino N. Card. N., funditus pertractatam esse causam, de qua supra, inter N N. et N. N. ad obtainendum . . . atque propositis dubiis, scilicet . . . responsum fuisse . . .

In expensis autem iudicialibus Supremum idem Tribunal condemnavit et condemnat . . . [Sive: „decrevit eas inter partes esse compensandas“, aut alias, pro re nata].

Atque ita mandatum est atque decretum; omni etc. Datum . . . etc.

Art. 54.

Originalis sententiae tenor infra mensem publicabitur, neque partibus dimittetur nisi in authentico exemplari, ad earum instantiam, earumque sumptibus.

Art. 55.

Originalis sententia continebit brevem causae historiam a statu iuridico desumptam, de quo in art. 48, dubiorum formulam eorumque responsiones, decreta circa expensas, et mandatum executivum ampliori forma, scilicet: „*Atque ita editum est, pronunciatum, decretum, declaratum ac definitive iudicatum; mandatumque ut haec definitiva sententia publici iuris fieret atque ab omnibus, ad quos spectet, executioni mandaretur, non solum etc., sed ed omni etc. Datum . . .*“.

Originalis denique sententiae a R. P. D. Secretario subsignatae, Notarius Archivi Custos ut supra, fidem faciet, eamque dupli sigillo muniet, altero S. T., altero in quo expressa litteris erit pecuniae summa, sive *taxa* sententiae eidem apposita.

Art. 56.

Notarii Archivi Custodis, accepta ab Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali S. T. Praefecto ad id facultate, curiae erit ut sententia in *Actis Apostolicae Sedis* publici iuris fiat.

Quod si Cardinali S. T. Praefecto minus opportunum videatur integre sententiam in *Acta Apostolicae Sedis* referri, indicabitur tantum titulus causae, dubiorum formula et Eminentissimorum Iudicium responsum.

